



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vitæ D. N. Iesv Christi Monotessaron Evangelicum

Heser, Georg

Monachii, 1657

42. De vocatione Matthæi.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56533)

mari. *Matth. 8. v. 26.* At ille surgens, increpavit ventum & tempestatem aquæ. *Luc. 8. v. 24.* Exurgens comminatus est vento, & dixit mari: Tace, obmutesce. Et cessavit ventus. *Marc. 4. v. 39.* Et facta est tranquillitas magna. *Matth. 8. v. 26. Marc. 4. v. 39. Luc. 8. v. 24.*

IV. Et dicit eis IESUS: Quid timidi estis, modicæ fidei? *Matth. 8. v. 26.* Nec dum habetis fidem? *Marc. 4. v. 40.* Vbi est fides vestra? *Luc. 8. v. 25.* Porrò homines mirati sunt, *Matth. 8. v. 27.* & timuerunt timore magno, & dicebant ad alterutrum: Quis, putas, est iste, quia & ventus & mare obediunt ei? *Marc. 4. v. 40.* Timentes, mirati sunt ad invicem, dicentes: Quis, putas, hic est, quia & ventis & mari imperat, & obediunt ei? *Luc. 8. v. 25.* Et navigaverunt ad regionem Gerasenorum, quæ est contra Galilæam. *Luc. 8. v. 26.*

MEDITATIO XLII.

De vocatione Matthæi.

I. IESUS egressus est rursus ad mare: omnisque turba veniebat ad eum, & docebat eos. Et cum præteriret, vidit Levi Alphæi sedentem ad telonium, *Marc. 2. v. 13. & 14.*

Vi-

Vidit publicanum nomine Levi, sedentem ad telonium. *Luc. 5. &. 27.* Cùm transiret inde Iesus, vidit hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine. *Matth. 9. &. 9.*

II. Et ait illi: Sequere me. *Matth. 9. &. 9. Marc. 2. &. 14. Luc. 5. &. 27.*

III. Et surgens, secutus est eum. *Matth. 9. &. 9. Marc. 2. &. 14.* Et relictis omnibus, surgens secutus est eum. *Luc. 5. &. 28.*

MEDITATIO XLIII.

De conversione Mariæ Magdalena.

I. **R**ogabat IESUM quidam de Pharisæis, ut manducaret cum illo. Et ingressus domum Pharisæi discubuit. *Luc. 7. &. 36.*

II. Et ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix, ut cognovit, quod accubisset in domo Pharisæi, attulit alabastrum unguenti. *Luc. 7. &. 37.*

III. Et stans retro secus pedes ejus, lacrymis cœpit rigare pedes ejus; & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes ejus, & unguento ungebat. *Luc. 7. &. 38.*

MEDITATIO XLIV.

Christus per parabolam corripit Simonem criminantem.

I. **V**idens autem Pharisæus, qui vocaverat